

DEO *Auspice!*
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
**VIRTUTE
HEROICA;**

Quam
*In Illustri Academiâ GUSTAVIANâ ADOL-
PHINâ ad Embeccam,*
*Cum consensu & approbatione amplissimi Collegii
Philosophici,*

Sub Moderamine
*Reverendi, Clarissimi ac Excellentissimi
Viri,*

DN. M. PETRI S. LIDENII,

Log. ac Ethices Professoris celeberrimi, nec
non Venerandæ Facult. Theologicæ Adjuncti
dignissimi;

Hospitis, Præceptoris ac Promotoris, gratâ memoriâ
debitâq; observantiâ ætatem colendissimi.

*Publicæ Eruditorum censura, Exercitii gratiâ venti-
landam exhibet*

SVENO ALINUS,

Smolandia-Gothus,

In Auditorio Magno, ad diem Martii.

Dorpati Livonorum,

Exscripsit JOHANNES VOGELIUS, Reg. Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LV.

Generoso, Nobilissimo maxime Strenuo,
Magnanimoq; Viro

DN. HAQVINO NIC. SKYTTE,

Hæredit. in *Sässjö/ Hoffmantorp/ &c.*

S. R. Majestatis Tribuno militum in Smolandia, egregie de patriâ merito, Fautori ac Patrono suo magno.

*Nobilissimo, Prudentissimis atque Spectatissimis
Viris,*

DN. CAROLO NIC. SKYTTE,

Hæredit. in *Gråßhof & Römershof/*

S. R. Majestatis Generali per Livoniam com meatuum Præfecto dexterrimo, Fautori benefactoriq; suo colendissimo;

Ut &

DN. JOHANNI DANIELIS

Angermann/

S. R. Majest. per Districtum Dorpatensem com meatuum Præfecto solertissimo, Fautori ac benefactori suo singulari, ætatemq; colendo ac recolendo.

*Exercitium hoc Academicum in additissimâ
observantiâ sinceræq; gratitudinis affectus
essetram*

officiosè

nuncupat

Sveno Alinus,
Auth. & Resp.

Ext. A

34437

1995:38

Salvator Nisibus Annue.



Agnum hoc mundi theatrum intropiciens, non poterit non singularem DEI omnipotentiam ac providentiam, Ecclesia sua semper benignèq; consulentem, merito deprecari. Inter alia verò laudanda ipsius opera ac beneficia, non hoc infimum sibi vindicat locum; quod genus humanum mentis ignorantia, voluntatisq; malitia inquinatum; non solum variarum rerum scientia, pulcherrimisq; virtutibus, imbui & informari facit; sed etiam quod non nunquam Heroës quosdam excitat; h. e. tales personas, quæ afflatu divino summa cum admiratione & stupore, feliciter & virtuosè promptissimèq; in div. nominis de venerationem Ecclesiæq; conservationem, ea expediunt, quæ alii homines, ne aggredi quidem auderent aut inchoare prosperè possent. Talium cum præsens tempus ferax sit; hujusq; temporis felicitatem dilecta nostra patria, sibi singulari Dei indultu (quod extra tamen jactantiam dico) merito vindicare poterit. Viros scilicet sagæ togæq; arte & Marte illustrissimos Habuit habetq;. Hi enim Svecia Gothia subjacentiumq; Provinciarum Triumphatores ac Heroës cui ignoti? quem reportata patriæ victoriæ latent? Quis prolata Regni pomeria ignorat? Quis Heroum istorum satis condigna encomia decentabit? Quis denique Deo horum ductori, operumq; eorum directori condignas gratiasaget? Me cum hæc in admirationem ac venerationem jam dudum traxere, imò rapuere. Hinc ut Antiqui propter admirari cæpere, philosophari (ut ferè proverbiali dicitur formâ) ita & ego ex admiratione in considerationem divinæ illius virtutis, quæ aliâ Heroica dicitur adductus sum, indeq; mea super elegantissima hæc materia μελέτηματα cum commilitonibus meis suavissimis, aliisq; ingenii ingenio communicanda per hanc Ἀγίστην duxi. Hoc verò ut methodicè fiat, sub 2. membris rem totam enucleatam da-

A 2

bo

bo, & primò ipsam thesin, & secundo hujus antithesin expendam. Faxit altissimus Heros ut in nominis sui gloriam & veritatis illustrationem, bonorumq; ingeniorum ad omnis boni excellentiam, excitationem vergat!

Membrum I.

Thesis I.

Nomen hujus virtutis, *δωτόν τῆς ἡρώτος*, hoc est ab amore vehementi & ardente veritatis ac virtutis, deducimus, per illum enim amorem homo DEO, quasi similis quodammodo redditur, quod præclaras & generosas actiones, supra communem hominis conditionem & fragilitatem ex se edit; suisq; actionibus Deum quasi imitari vult. Unde hac eadem ratione Heroës *semi Dei* vocantur abs Hesiodo.

II. *Homonymiam* si consideramus: sumitur modò late, pro Excellentia cujusvis virtutis, etiam Dianoëticæ; quo sensu heroës, quilibet excellenter in disciplinâ aliquâ aut arte periti & exculsi, appellari poterint: vel *strictè* pro eximiâ excellentiâ in virtute aliquâ practicâ, non vulgari: sive hæc eminentia se exserit in splendore virtutum Theologicarum, communem hominis conditionem superante, in quorum numero sunt ii, qui vel in verâ fide, dilectione Dei, spe, patientiâ, charitate, &c. firmiter perseverant, & nullo modo se commoveri patiuntur, ut David, Lutherus, &c. vel qui in spirituali palæstrâ cum Satanâ, cæterisq; hostibus animam petentibus dimicant, & hostes fortiter vincunt, inter quos fuere, Salvator noster, item Martyres omnes, qui pro cœlestis doctrinæ veritate, divinæ voluntatis observatione ad sanguinem usque dimicaverunt. Vel denique in actionibus Politicis, supra vires & industriam humanam aliquid molientibus. Obtales celebrantur in historiâ sacrâ, Abraham, Jacob, Moyses, Josua,

sua, Samson, &c. In aliis Historiis, Alexander Magnus, Cyrus Rex Persarum, Gustavus Adolphus, &c. Demùm *strictissimè* & nimis præcisè, sumitur tantùm, pro fortitudinis & magnanimitatis eminentiâ. Ut jam de abusu, quâ vitia sæpe ab adulatoribus in heroicas virtutes specietenus transformantur, nil dicam.

III. *Synonymiam* si expendamus, dicitur aliàs virtus cum Excellentia, Eminentia, & splendor virtutis complementum seu summa perfectio omnium virtutum, nec non divina virtus, &c.

IV. In mediâ & propriè sumptâ acceptione definitur virtus Heroica, quod sit divinitus collata promptitudo, magnas actiones, circa cujuslibet virtutis practicæ objectum, ultra quàm vulgari fere hominum conditio, alacri impetu aggrediendi & felici successu expediendi. Vel ut D. Liebenthal: Est virtus divinitus quibusdam hominibus concessa, ad expediendum ea, quæ viribus humanis expediiri nequeunt.

V. Virtus dicitur, quia virtutis definitiones ab authoribus passim traditæ, illi commodè applicari possunt.

VI. In definitione *Causa efficiens* indigitatur hujus virtutis; dum *divinitus collata dicitur*, quo significatur, quod virtus hæc, peculiari quodam divino afflatu aut motu, minimè a, solâ industriâ & præparatione humanâ hominibus contingit, (undè nonnulli etiam dubitant, utrum in habituum numero habenda sit, licet frustra; cum infusi habitus, æquè habitus sint ac acquisiti) hinc & nemini facta heroica imitari fas est, nisi eadem vi divina instructus fuerit. Hoc non solum historiæ supra memoratorum Heroum confirmant; Sed etiam agnovisse videtur ipse Cic. dum dicit: *Sine Deo, nemo vir magnus unquam existerit.*

VII. Fit porro in definitione mentio *Effectorum* hujus virtutis, utpote sunt, non solum *aggredi tales actiones & molimina, quæ vulgarem humanam conditionem excedunt sed etiam felicè*

lici successu eadem expedire. Non enim sufficit magna moliri, hoc interdum temerarius & audax præstare potest, sed oportet, ut eventus respondeat conatui, si quis mille armatis se opposuerit, temerarius potius ac audax est, si vid. superandis illis multò fuerit minor. Quod v. Samson fecit, audax non fuit, quia hic virtute suâ, quâ pollebar, Spiritu suo, quo agebatur divino, quod tentavit, perficere & superare valuit. Id enim tantum vitium audaciæ incurrit, si quis molietur ea, quibus perficiendis longè impar est.

VIII. *Obiectum* sunt reliquarum virtutum actiones omnes, sed in excellentiori gradu, undè in omnibus quidem occurrit, & maximè conspicua est in iis virtutibus, quæ majorem difficultatem & splendorem secum habent, utpote sunt, *pietas, justitia, magnanimitas, magnificentia, fortitudo, &c.* in cæteris virtutibus, quarum actiones tantâ cū difficultate non præstantur, ut *veritate, comitate, &c.* tam illustri splendor esse non potest.

IX. *Subiectum* quoq; sunt *mares & femina*, siquidem virtus cuivis in genere homini competit, nec *consum, nec sexum respiciens aut excludens*. Sed non omnes, verum qui ex afflatu divino, supra communem hominum sortem elevati sunt, ac præsertim personæ publicæ, prout proverbia innuunt; *Herculis corburnos infanti non posse aptari. Herculis Clypeum, & Herculis columnam, requirere non nisi Herculem.*

X. Hinc facile *finis* intelligitur, nim. qui tendit ad evidentem utilitatem publicam; sive fuerit in Ecclesiâ conservandâ & reformandâ, sive in republica confirmandâ ac defendendâ.

XI. Opponuntur huic virtuti *duo extrema*, in excessu est *feritas seu bestialitas*. Cujus species licet plures sint ad tres tamen reduci possunt, nempe 1. *Profanitatem*, quæ ori-

oritur ex impietate in Deum. 2. *Immanitatem*, ex sævitia in proximum. 3. *Tyrannidem*, ex infidelitate & crudelitate in patriam; in defectu, vel proprio nomine destituitur, vel *αειφροσύνης* heroicæ virtutis *stupor, ignavia*, quæ est summa ineptitudo, ad quamvis virtutis inhabitationem, dicitur.

XII. Differt tamen à reliquis vitiis in hoc, quod cæteris vitiosis hominibus, aliquid ad huc mentis & rationis remaneat, in istis profus extinctum inveniatur.

Feritas Græcè dicitur *βριότης* à brutis & bestiis nomen habens, quasi bestiale vitium dixeris; feritas enim hominum, bestialitate in hoc est deterior; quod bestię rationis sunt expertes, denique vitium Ethicè & propriè loquendo non admittant. Hominum feritas rationem non negat vel excludit, sed negligit, non audit sed conculcat.

XIII. *Definitur* quod sit complementum vitii, quo homo recte rationis iudicio planè ac penitus excusso, omniq; humanitate objectâ, ad scelera quævis immanissima turpissimaq; grassatur eaq; perpetrat, à quibus aliàs ipsa natura humana abhorret.

XIV. Feritatem, utpote, quod pluribus noceat (activa enim est) deteriorem censemus: stupor v. ille, licet per se aliàs pessimus, quod reipub. proximo ipsiq; subiecto omnem virtutis fructum subtrahat; hoc tamen detrimentum quia committendo non infert; tolerabilior videtur.

Membrum II.

Controversias tractans.

Thes. I.

Primò forte in controversiam quis vocare poterit. *An ejusmodi heroica virtus in rerum detur natura?* Hoc verò nō opus est, ut multis adseveremus; cum id res ipsa, omnisq; histo-

historiâ; imò manifesta experientia in vitâ quotidianâ, cui reclamare stultum est, demonstret. Datur enim in actione perfectum, ergò dabitur etiam perfectissimum. Datur deniquè in manifestis Exemplis talis eminentia, quæ sortem & captum humanum excedit. Jobus fuit heros ob tolerantiam, Salomon ob scientiam, Alexander Magnus ob fortitudinem, sic Clementissimus quondam Rex noster Gustavus Adolphus, heros planè divinus ac multarum virtutum splendore illustrissimus fuit. Sic & in sacris & in nostris historiis Heroum & Pugilum ubique fit mentio.

II. Nec obstat: quod gratia & concursus divinus in cuiusvis virtutis Exercitio requiratur; undè omnes a què heroica dicenda. Nam disting. inter generalem & particularem, sive specialem Dei concursus. Specialissimus & peculiariter gratiosus est, quo fidelibus adest. 2. Pro determinatione dubiorum; Dist. inter causam principalem & minus principalem sive subordinatam; neutrum hic excluditur sed includitur. Heroicæ virtutis causam Efficientem principalem dicimus singularem Dei afflatum & ductum. Subordinatas statuimus duplices, internas & externas. Ad internas referimus 1. Naturæ bonitatem. 2. rectam educationem & institutionem. 3. inexplebile illud desiderium, quo plerumque heroës ducuntur. Ad causas externas, referimus subsidia virtutum, ut sunt constantia laboris in perficiendo opere, ut opera maxima non strepidè ac tepidè; sed egregiâ alacritate, magno calore & molimine suscipiantur & perficiantur. Sic Alexander M. admirabili alacritate, totum mundum imperio suo subegit. Lutherus magnâ laboris constantiâ, veram de Deo doctrinam ex tenebris plus quam Cimmeriis revocavit.

III. Utrum Virtus heroica in medio sita? Dubitare quis possit, quia in definitione dicitur ἀνεγής sive complementum

tum & extremum virtutum. Resp. deciditur autem dubium applicatâ distinctione inter considerationem, quæ fit respectu extremorum sive terminorum; & quæ fit intuitu eminentiæ seu Majestatis & perfectionis. Et sic diversus respectus hanc rem componet. Ratione magnitudinis E. seu Majestatis & eminentiæ non est medium quoddam; Sed extremitas, vel ut ita loquar supremas & excellentiæ quædam: Verû ratione Essentiæ consistit in mediocritate ut supra visum.

IV. Ex hujus controversiæ decisione, patet etiam, quid de hac quæstione sentiendum sit; An virtus heroica, potius sit virtus ipsa, an Excellentia & affectio tantum virtutis? Videl. exinde quod mediû laudatissimè inter extrema vitiosa tenet, virtutem esse & appellari: ratione v. eminentiæ & magis collativè seu relatè ad communes virtutes, affectio seu sublimitas quædam hujus vel illius dici posse.

V. An & quomodo differat hac Virtus Heroica à reliquis? Resp. Convenit specie, objecto & essentiâ cum reliquis; Differt autem Gradu & Excellentiâ. Diversus enim modus, diversam statim speciem non constituit. Denique magis & minus non variat speciem. Sic fortitudo Philippi fuit moralis, in filio autem Alexandro fuit etiam fortitudo, sed cum eminentiâ quædam & heroica meritò dicta.

VI. Quæri solet; An Heroica Virtus sit necessaria? Pro solutione quæstionis ritè disting. inter singula individua & speciem humanam, sive respub. societatesq; majores. His necessaria utique est, regna, respubl. urbes & ipsa Ecclesia, adeoque societates majores, heroum ope auxilioq; sapiissimè, ut aliàs quotidiana vita monstrat, necessariò indigent: illis, singulis sc. individuis & cuivis homini, adeo necessaria non est; Cum vir bonus esse possit, quamvis heros non sit. Diverso E. respectu necessaria & non necessaria dici potest.

VII. Superfedere volumus quæstionibus; *An Fœminis, & Pueris hæc virtus competat?* Cum illæ hic non secundum naturalem & generalem conditionem; sed specialem considerantur. Dum præter & supra conditionem sexus, præclaris donis & virtutibus extraordinariè instructæ deprehenduntur. His salutem inchoativè καὶ δὲ ἐλπιδά conveniunt; non verò perfectè; nisi Deus peculiari modo, non solum extra ordinem, sed & miraculosè aliquid egerit. Quod D. August. in Tract. de Joh. Bap. benè annotat: *Cælum inquit, & terram non dum viderat, & Dominum cæli & terræ cognovit; ac antea fuit suæ matris magister, quàm ejus esset natus filius; & prius ipsam docuit, quod ipsa cum lactavit.*

VIII. *An hæc Virtus solis competat Christianis?* Excellentissimam virtutem, sc. in suo genere, in Ethnicis manifesta non tantum experientia, sed etiam S.S. clarè testatur. Sic dicta Esa. 45. de Cyro. Dan. 8. de Alexandro M. intelligenda veniunt &c. Etiam si collatio si instituatulterior, Christianorum virtutes, utpote puriores longè eminere, non negandum. Actiones enim Ethnicorum bonæ sunt, quæ procedunt à rectâ ratione; Deo verò displicent in quantum sunt sine fide &c.

IX. Pluribus non opus est probare, etiam in iis, qui exera legitimum thorum concepti sunt heroicæ virtutes reperiri; cum id ipsum Exempla quàm plurima heroum illegitimè natorum, tam ex sacris, quàm profanis historiis confirmant; Ita Jephthe Jud. 14. Hercules, qui virtutibus diis æqualis dictus. Quid enim prohibet quin, Deo humilia exaltante, animi corporisq; vigore suppetente, summo studio accedente, etiam illegitimè nati per legitima media heroicæ virtutis participes evadant, atque ita heroës fiant.

X. *Quæstiones, an omnibus temporibus & ætatibus heroës inveneri sunt: Item cur heroës γυναικωγενεταίμενοι?* Et ejusmodi alias;

tan

tanquam minus ad nostrum institutum pertinentes, ad suum ablegamus forum.

Corollarium

I.

Heroës sæpè post egregias magnasq; res gestas graviter labuntur, quidam sanè resipiscunt, eòq; undè lapsi sunt redeunt, quidam v. tragicos haud rarò funestosq; habent exitus. Exemplo in sacris historiis, sint Moyses, Samson, David, Salomon, Joas, Saul, &c. in aliis, Hercules, Cyrus, Alexander, Romulus, Pompeius, Julius, Cæsar, & alii numero plurimi. Horum lapsuum causæ sunt 1. Impetus animorum vehementiores, qui sæpè faciunt, ut magni viri in arduis & magnis negotiis occupati, minus sibi temperare possint; Unde lapsus non minus proclivis, quàm periculosus & notabilis. 2. Ex rebus secundis, quas æquo animo ferre difficillimum, nata superbia, fastus & nimia, quam inferiorem in plebeculam sibi sumunt licentia, quæ Deus impunita non relinquit. 1. Pet. 5. *Deus superbis resistit.* Sapient. 6. *Potentes potenter tormenta patiuntur.* Sen. in Hercule furente: *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.* 3. Humanæ naturæ conditio miserrima, quæ pravæ carnis tentationibus facilè succumbit. 4. Diaboli insidiæ, qui ut Christum θεάμβροτον, maximum illū Heroa, non intentatum reliquit; ita nec parcit φιλαυθώπις quocunque in statu positus. 5. Quia magnorum virorum errata, cum illustri posita sint loco, videntur esse majora, secundum Juvenal. Poët. Satyr. 8.

*Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat habetur.*

B 2

II. Sæpè

II.

Sapè Heroum Filii noxa, sed non semper.

Non minima felicitatis pars est, si cui contingat, ex fortibus & magnanimis Heroibus procreari ac nasci ut Poëta egregiè:

*Fortes creantur fortibus
Est in iuvenis, est in equis patrum
Virtus; nec imbecillem feroces
Progenerant aquila columbam.*

Nam commune est proverbium; *qualis avis tale ovum.* Et in sobolem stillat virtus cum lacte Parentis. E primorum heroum stirpe, ordinariâ successione, nati Patriarchæ sunt: qui majorum vestigia sequentes, Deo ita disponente, res admirandas & mundo salutare peregerunt. Sic habuit Adamus non tantum impium Cainum, sed & optimum Abelem & Sethum, David Salomonem, Abrahamus Isaacum patrizantes habuerunt. Isaacus non tantum Esavum perversum; sed & laudatissimum Jacobum. Sed quid solliciti sumus de veteribus, cum recentiora habemus. Nonne Regia illa Gustaviana familia toti orbi admirabilis, gestis ac meritis illustrissima & celsissima cluit? sic ex ea etiamnum instar syderis coruscat, splendet fulgetq; Serenissimus Potentissimusq; modernus Rex Sveo-Gothicus CAROLUS GUSTAVUS. Cui, ut quàm diutissimè faventissima illa divina aura adspiret, arduarumq; imperii rerum gerendarum successu gaudere faciat devotè precamur. Quod verò ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα, πῆματα evadant; & ut refert Homerus Odyss. 5.

*Aquat rara patrum soboles, sed plurimi ab illis
Degenerant, pauci superant probitate parentes.*

Hujus ἀνωμαλίας & ἀποσυσίας causa sunt Divina & Humana.
Di.

Divina, Dei justitia, qui & parentum, si quæ sint delicta, & ipsorum liberorum peccata graviora & insolentiora plectit, Exod. 20. *Humana sunt vel Physica vel Ethica* Physicas suo relinquimus loco. Vid. Lemnium lib. 1. de occult. miracul. cap. 4. Ajunt enim magnos viros liberorū ad generationem segniores videri.

Morales sunt in Parentibus, in liberis, sunt in Præceptoribus & ministris. In Parentibus; sunt enim in educatione liberorum remissiores & molliores, propter φιλοσοργίαν nimiam. At blanda patrum segnes, facit indulgentia natos.

In liberis: hi parentum autoritate, potentiâ, opibusq; insolescunt & intumescunt, alios habent contemptui, nec ullis ab injuriis temperare sibi possunt.

In Præceptoribus & Ministris: Parentes publicis negociis distenti, ipsi liberorum educationi superesse nequeunt; operâ mercenariâ liberos educari curant; Præceptoribus & aulicis liberorum curam committunt. Qui ubi omnia ad gratiam, pauca ad utilitatem discipuli referunt; quem informare debuissent, deformant. Undè hi instar ferocientis equi insolescunt & raro ad frugem se recipiunt meliorem. Cum à prima institutione, reliqua fermè vita dependet.

Mantissæ.

1. *An omnis Actio fiat ex præviâ cognitione causa Effic. D.*
2. *An simpliciter verum sit illud in Logicis vulgatum: Substantia nihil est contrarium? N.*
3. *An communicato uno proprio, communicentur etiam omnia? D.*
4. *An conscientia recta semper obliget, & sic et-*

etiam iudicem, ut majorem ejus, quàm actorū & probatorum rationem habeat? Resp. Certè obligat & quidem ita ut si impeditus non possis facere secundum, non tamen committes aliquid contra eam. Hinc Judex si testibus circumventus secundùm cōscientiam judicare nequeat; officium judicandi potius declinabit aliq; committat, quàm conscientiam violat.

5. *An conscientia probabilis obliget?* Resp. Obliget ad partem probabiliorem & tutiorem quæ verè talis est, sequendam; Qui verò improbabilem contra conscientiam sequitur sententiam, cognita probabiliori, is peccat seu in peccandi periculum incurrit.

6. *An Erronea Conscientia obliget?* Resp. Si res est indifferens & conscientia tamen aliquid tanquam præceptum faciendum putet, non tamen facit, peccat. Quicquid enim non est ex fide scilicet conscient. hoc est firma persuasione ita rectè se habere, quod facimus, peccatum est. Rom. 14.

7. *An conscientia dubia obliget?* Neg.

8. *An scrupulosa obliget?* itidem Neg.

9. *An aliquis bonâ conscientia falsam opinionem quam aut reverà falsam aut in veritate non satis fundatam novit, cognita veriori, discipulo inculcare possit?* Neg.

10. *An in elocatione pecunia certi quid pro accommodatione annuâ exigere quis bonâ conscientia possit?* D.

11. *An aliquis bonâ conscientia vocationem ad munus aliquod emere possit?* Neg.

Præ-

Præstantissimo & humanissimo

Dn. RESPONENTI.

*Virtutum non ima tuum, doctissime Aline,
solers pertractat, summa sed ingeniū,
Auguror inde & Tu, quod nō subsistis in imis,
Alta petis, nisum dum juvat ipse Deus.
Ipse Deus minimos magnos qui reddit, egenos
Surgere & ex imo pulvere qui ipse facit.*

Ita gratulor

PRÆSES.

*Afflatus Domini bonus Artevè Martevè magnum
Præ cunctis Heros quem facit esse solet.
Quod cum perpendas sub Claro Præside ALINE
Heroum dignus semper amore clues!*

In felix omen, L.M q; utut occupatissimus scrib.

M. Olaus Wexionius,
Polit. & Hist. Prof. ord. & Fac.
Philos. p. t. Dec.

Ad Præstantiss. & Doctiss.

Dn. Respondentem.

*Perdoctum specimen monstrans doctissime ALINE
Edis defendisq; hæc Theses: voveo!
Annuat Omnipotens summi moderator Olympi,
Cœptisq; hisce tuis ipse Deus faveat.*


Omnia

Omnia quò vergant in laudem cunctipotentis!
Gratulor & precor ut Te regat ipse DEUS.

Sinceri affectus & infueati amoris E.

apposuit

*Benedictus Andrea Humble /
Smal.*



Res magna est, fateor, Doctorum scripta virorum,
Assiduo studio perdidicisse bene:
Nam verum certè est, coluisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Gratulor indè tibi tenui sed carmine, amice,
Qui doctos inter, Sympatriota, alios
Doctorum legis hic vestigia amœna virorum:
Queis tandem doctus, scandis ad alta piè!
Perge velut pergis studiis incumbere honestis,
Sicq; DEO gratus, charus erisq; tuis.

*Domino Sympatriota Amico suavis.
hisce gratulab.*

*Olaus Funckus,
Calm.*

